

interdum requirunt interpretationem, ut non dandi sacramentum indignis, non accedendi ad sacramentum in peccato mortali, et si quæ sunt similia. Respondeo in hac lege, ut supra dixi, non esse præcepta negativa, utique pura, et per se primo ac directe imposita per positivam prohibitionem; esse tamen aliqua præcepta negativa consequentia ad alia affirmativa, vel intime conjuncta positivæ et, ut sic dicam, affirmativæ institutioni alicujus sacramenti, vel sacrificii, vel alicujus muneris, et tunc negativum præceptum per affirmativum, in quo fundatur, regulandum est. Et hinc est ut talia præcepta negativa interdum sint de re adeo intrinsece mala, ut nullam recipiant dispensationem nec episkiam. Talisque est prohibitio facta confessori, ne secretum confessionis revelet. Nam in hoc præcepto nulla cadit interpretatio, sive intelligatur ut specialiter adjunctum ex voluntate Christi tali sacramento, sive (quod probabilissimum est) tanquam intrinsece consequens ex tali institutione et necessitate confessionis, ut late dixi in 4 tom. 3 partis, disp. 33, sect. 1. Et hoc exemplum valde confirmat doctrinam datam; nam si admittatur dispensatio vel interpretatio episkie in præceptis evangelicis, non esset difficile illam extendere ad hoc præceptum, quia etiam possunt occurrere gravissimæ causæ et occasiones pertinentes ad commune bonum; in hoc autem admitti non potest, ut est certum; ergo neque in aliis simpliciter latis admittenda est. Sicut etiam ex institutione sacramenti sequitur obligatio non ponendi obicem sacramentali gratiæ, quæ adeo est intrinsece necessaria, ut oppositum nunquam possit esse licitum per ullam dispensationem vel interpretationem.

19. *Quando locum habet aliqua interpretatio.* — Aliquando vero præceptum affirmativum conjunctum alicui institutioni, seu consequens illam, tale esse potest ut negativum præceptum in illo fundatum non sit omnino absolutum et universale, tanquam de re intrinsece mala, et tunc quamvis habere possit locum aliqua interpretatio, non tamen propria episkia, sed doctrinalis et orta ex præcepto affirmativo, in quo illud negativum fundatur. Exemplum adhiberi potest in præcepto non communicandi cum conscientia peccati mortalis, sine prævia confessione, quia directe affirmativum est juxta superius dicta; vel melius in præcepto non dandi Eucharistiam indigno, aut furioso, quod revera fundatur in affirmativo præcepto reverenter trac-

tandi tale sacramentum. Unde si hoc affirmativum servetur in aliquo casu sine illa negatione, tunc non obligabit præceptum negativum, quia solum obligat quatenus necessarium est ad servandum affirmativum præceptum, et ita illa interpretatio directe est in præcepto affirmativo, quæ non est per episkiam, ut declaravi: et aliud exemplum subjiciemus solvendo argumenta.

20. *Respondetur ad tria argumenta.* — Primum ergo argumentum contrariæ sententiæ sumptum ex verbis Christi: *Quodcumque ligaveris, etc.*, solutum jam est explicando dicta verba, et ostendendo sub illa generalitate non comprehendi dispensationem in legibus ipsiusmet Christi, nec illam extensionem esse traditioni Ecclesiæ conformem, nec rationi consentaneam, cum sit contraria stabilitati ejusdem legis Christi. Neque exempla quæ afferuntur in secundo argumento, de juramenti, votis et matrimonio rato, sunt similia, quia, cum illa dispensantur, non relaxatur aliqua lex divina, sed materia ejus subtrahitur, ut in libro 2 attigimus, et latius in tom. 2 de Religion. Et idem dicendum est de dissolutione vinculi inter Episcopum et Ecclesiam: nam etiam ibi supponitur vinculum humana voluntate contractum, et ex ea parte dissolvi potest per voluntatem superiorum, quamvis ad hoc etiam necessaria sit potestas divina, id est, a Deo concessa. Exemplum autem de matrimonio consummato non admittimus, quia jam habet, ex divino jure naturali vel positivo, majorem firmitatem quam humani contractus. Vinculum autem solemnis professionis religiosæ non habet a jure divino, sed tantum ab ecclesiastico, specialem firmitatem. Tertium item argumentum ex ratione sumptum facile ex dictis solvitur; nam præcepta positiva legis gratiæ sunt paucissima, et per se et directe non sunt negativa, sed affirmativa, quæ ex eodem jure divino positivo non habent certi temporis determinationem, et ideo, ad occurrendum casibus occurrentibus, quantum pro explicanda obligatione necessarium est, sufficit interpretatio doctrinalis, quæ in Ecclesia pertinet ad clavem scientiæ, et non nocet legi, nec relaxat illam. Quod vero spectat ad institutionem vel necessitatem medii, non oportuit admittere dispensationem vel exceptionem propter vitanda incommoda privata, quia non poterat hoc fieri sine majori incommodo boni communis: et est contra naturam et firmitatem institutionis, quæ posset illa occasione multum alterari et perverti.

21. *Ad quartum responsio.* — Ad primum autem exemplum, quod in quarto argumento contra hoc afferebatur de ministro Confirmationis, dicendum est illam non esse dispensationem in institutione divina, sed potius vel ipsam institutionem divinam ita factam esse, vel (quod in idem fere redit) ibi esse factam specialem commissionem Pontifici amplificandi ministerium illud. Et consequenter dicendum est hoc traditione constare, et insinuari a Conciliis, dicentibus Episcopum esse ministrum non absolute, sed ordinarium, ut latius dixi in 3 tom. 3 part., disp. 36, sect. 2. Et idem cum proportionem dicendum est in ministro sacramenti ordinis quoad aliquos gradus ejus.

22. *Secundum exemplum.* — Secundum exemplum erat de dispensatione in consecrando pane sine calice; in quo probabilius dico non esse admittendam talem dispensationem, neque esse posse Ecclesiæ convenientem, moraliter loquendo, ut in loco ibi citato latius dixi, et ad historiam de Innocentio respondi, et idem de episkia dixi. Quod si illa exceptio admittenda esset, ut est etiam probabile, declaranda esset per modum interpretationis doctrinalis, non per modum dispensationis aut exceptionis in lege divina. Illa vero interpretatio in hunc modum declarari potest; quia illud præceptum sacrificandi sub duabus speciebus per se affirmativum est, et intrinsece connexum cum institutione talis sacrificii: unde prohibitio conficiendi unam speciem sine altera non est ex speciali præcepto negativo juris divini positivi, sed pertinet ad jus naturale, supposita institutione, sequiturque, mediante hoc generali principio, quod Deo est integrum et perfectum sacrificium offerendum. Hoc autem principium affirmativum est, et ideo ex se non obligat pro semper, patique potest interpretationem, scilicet, ut servetur quantum occasio tulerit, et fieri potuerit, et ideo si applicatur illud principium ad hoc sacrificium, videtur habere locum interpretatio, quod in casu impotentiae cesset illud principium, et consequenter etiam cesset illa prohibitio seu negativa obligatio, utique non sacrificandi potius quam in una tantum specie consecrandi. Quia ibi non amittitur institutio essentialis, sed integralis, et ideo valida est consecratio unius speciei, etiamsi alia omittatur, et videri potest gratius Deo et hominibus utilius sic conficere quam nullo modo; et quamvis ex hoc discursu, si admittatur, videatur sequi talem interpreta-

tionem non solum esse licitam auctoritate Pontificis, sed vel inferiorum, vel per solam doctrinam, nihilominus tamen, quia res est gravissima et valde dubia, et contra universalem Ecclesiæ morem, permittenda non est sine decreto Pontificis; hoc autem modo admessa juxta probabilem sententiam, et dicto etiam modo declarata, nihil obstat superiori doctrinæ. Tertium exemplum de residentia Episcoporum pertinet ad interpretationem juris naturalis, et de illo superius libro secundo sufficienter dictum est.

CAPUT VII.

UTRUM LEX GRATIÆ SIT PERPETUA ET INVARIABILIS.

1. *De perpetuitate legis novæ.* — *Non esse duraturam hanc legem perpetuo simpliciter.* — Tribus modis, quantum ad præsens spectat, potest lex aliqua variari, scilicet, per abrogationem, diminutionem, vel per augmentum; et de his breviter dicendum est, incipiendo ab abrogatione, quoniam ex illa facile cætera constabunt; et inde etiam explicabitur perpetuitas hujus legis, quæ solum inquiritur juxta subjectam materiam. Certum est enim hanc legem non esse duraturam perpetuo simpliciter, id est, in æternum, loquendo formaliter et in seipsa, quia solum est data pro hominibus viatoribus in Ecclesia militante: Ecclesia autem militans non durabit in æternum, sed finem habebit in die judicii, et postea nulli erunt viatores; ergo nec lex ista amplius durare poterit, quia, destructa republica et deficiente ejus statu, cessat etiam lex. Dixi autem formaliter et in seipsa, quia in effectu seu gratia in æternum durabit, ut infra declarabo. Hic ergo agimus de propria lege præceptiva, et de perpetuitate usque ad finem mundi, et de abrogatione illi contraria. Hic autem intelligitur quæstio aliter quam in præcedenti capite, scilicet, in ordine ad Deum, et non in ordine ad homines; nam de hominibus certum est nullam variationem ex dictis posse in hac lege facere. Non enim possunt illam augere, quia præceptum divinum ferre non possunt, per humana autem præcepta non augetur lex divina; nec etiam possunt illam minuere, cum non possint in illa dispensare, quod minus est quam partem ejus omnino tollere, unde licet de dispensatione fuerint opiniones, de diminutione nullæ sunt: et a fortiori, si homines diminuere non possunt hanc legem, multo

minus poterunt abrogare. Inquiruntur ergo hæc in ordine ad Deum, in quo non consideramus nunc absolutam potestatem, sed ordinatam, vel potius actuale institutionem ejus, et necessariam permanentiam seu durationem legis, saltem ex immutabilitate divinæ voluntatis ac promissionis.

2. *Legem novam perpetuo duraturam usque ad finem mundi.* — Dicendum est ergo legem novam perpetuo duraturam esse usque ad finem mundi, ac subinde nunquam esse abrogandam, donec cesset Ecclesia militans et numerus prædestinatorum in gloria consummetur. Ita docet D. Thomas, quæst. 106, art. 4, et cum eo cæteri theologi, estque res certa. D. Thomas eam probat ex illo Matthæi 24: *Non præteribit generatio hæc donec omnia fiant, etc.*, adjuncta expositione Chrysostomi, hom. 68, ubi per generationem intelligit generationem fidelium, id est, Ecclesiam, quæ duratura est donec judicium veniat, de quo ibi erat sermo. Et est probabilis expositio, quam habet etiam Chrysostomus in Imperfecto, et sequitur Theophyl.; tamen, quia non est certa, testimonium non probat conclusionem de fide. Clarior est promissio Christi Mat. 16: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quibus verbis promittit stabilitatem suæ Ecclesiæ usque ad finem mundi; non potest autem Ecclesia durare sine lege, nec permanere in eodem statu sine eadem lege. Ut autem non dubitemus hoc fore implendum, promittit Christus Matth. 28: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Confirmari hoc potest ex verbis Matthæi 14: *Prædicabitur hoc Evangelium universo orbi, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*; nam, licet Chrysostomus illud intelligat de consummatione excidii Hierosolymitani, communius et probabilius intelligitur de consummatione mundi, quæ futura prædicatur post absolutam prædicationem Evangelii per totum mundum, ut exponunt Hieronym., Beda et alii. Intelligendum est autem de prædicatione efficaci, id est, de conversione totius mundi, ut supra D. Thomas exponit, ad 4; ergo prædicatione Evangelii, et consequenter lex evangelica duratura est usque ad consummationem mundi. Verum est Christum non dixisse consummandum esse mundum, statim ac fuerit prædicatum Evangelium in toto orbe, sed solum non esse consummandum mundum donec Evangelium in toto illo prædicetur; seu, ante con-

summationem, futuram esse talem prædicationem, ut sentit Augustinus, epistola 80 ad Hesichium; hoc autem posset impleri, etiamsi multa tempora transitura essent inter universalem prædicationem Evangelii et consummationem mundi; et ideo hoc testimonium non est tam efficax sicut cætera; satis vero in eo significatur a consummata prædicatione Evangelii usque ad consummationem mundi, non esse futuram alterius Evangelii vel divinæ legis prædicationem.

3. *Secundo probatur assertio.* — Secundo, probari potest assertio ex aliis locis, in quibus Testamentum novum dicitur æternum: nam nomine Testamenti, ut sæpe diximus, in Scriptura significatur lex: ergo lex nova est æterna, sicut et Testamentum. Assumptum patet imprimis ex verbis consecrationis Calicis: *Hic est, etc, novi et æterni Testamenti mysterium*; nam licet particula illa *æterni* in Evangelistis non legatur, ecclesiastica traditio docet fuisse a Christo dictam, ut docuit Innocent III in cap. *Cum Marthæ*, de Celebrat. missarum. Item Paulus Hebr. 13 sanguinem Christi vocat *sanguinem Testamenti æterni*; et Apocal. 14 vocatur *Evangelium æternum*, quod sic appellatur, quia post illud non est futurum aliud, ut Ans. et Theod. exponunt. Confirmatur hoc, quia talis est lex quale sacerdotium: nam si, *translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*, necesse est ut, perseverante eodem sacerdotio, eadem lex duret; sed sacerdotium legis Evangelii est perpetuum; ergo et lex. Minor habetur ex illo Psal. 109: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*; et ad majorem contestationem hujus immutabilitatis additur: *Juravit Dominus et non penitebit eum*, ut ponderavit Paul. ad Hebr. 7, et late exponit Aug. l. 1 contra advers. legis et Prophetarum, c. 20, et 17 de Civ., c. 17, ubi declarat hanc perpetuitatem non solum de sacerdotio prout per excellentiam convenit Christo, sed etiam de sacerdotio ab illo instituto, quod in Ecclesia permanet ad offerendum sacrificium panis et vini, quod fuit sacerdotium Melchisedec. Simile argumentum sumitur ex perpetuitate regni Christi promissa per Angelum, Luc. 1: *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis*, et prædicta per Danielelem, c. 2: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur.* Quod de regno Christi in Ecclesia militante recte exposuerunt ibi Maldon. et Pereira, l. 2 et l. 8 circa finem, et de eodem aperte loquitur Michæas cap. 4,

ubi post promissionem legis novæ subdit: *Ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum, et ultra*; et infra: *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum.* Si regnum autem æternum est, necesse est etiam ut lex sit æterna, quia non potest regnum manere sine lege.

4. *Objectio.* — Statim vero occurrit objectio, quia etiam lex Judæorum prædicta fuit æterna, et nihilominus explicamus ibi non significari æternitatem simpliciter, nec durationem usque in finem mundi: ergo simili modo poterunt dicta testimonia eludi. Respondetur negando similitudinem, quia longe diverso modo loquitur Scriptura de hac perpetuitate, ac de illa, ut de sacerdotio notavit August., quæst. 124 in Exod., ponderans verbum: *Juravit Dominus, et non penitebit eum*; nam illo significatur immutabilitas illius sacerdotii, et est consentaneum Paulo ad Hebr. 7; et idem significavit expressius Daniel, addens: *Et regnum ejus alteri populo non tradetur*; et c. 7 addit: *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Sed hinc oritur alia objectio, quia hæc intelligi possunt de regno Christi in cælo, et non in terra. Sic enim exposuerunt locum Danielis Theodor. ibi, et Tertullian. contra Judæos in fine, et locum Michææ Cyrill. ibi; imo et Paulus ita videtur interpretari æternitatem sacerdotii Christi, ad Hebr. 7. Respondeo utrumque aperte docere in illis locis, scilicet, et regnum Christi duraturum in hoc mundo quamdiu mundus duraverit, et non esse cum mundo destruendum, sed in vera æternitate consummandum. Et simili modo ibi permanebit sacerdotium quoad dignitatem excellentiæ personæ Christi, et quoad perpetuum effectum sacrificii ejus, qui a Paulo ad Hebr. 9 æterna redemptio vocatur. Et cum eadem proportione lex gratiæ proprie ac formaliter sumpta, ut est lex viatorum, durabit usque ad finem mundi, ibi autem finietur: nam cum fundetur in fide et cæremoniis sacramentorum, non habet locum extra statum viæ, quia quoad hoc imperfecta est, et ideo evacuabitur cum venerit quod perfectum est. Eminentiori autem modo dici potest mansura in gratia consummata et in lege gloriæ, quæ non erit alia nisi lex amoris, seu voluntas Dei clare visi et perfecte dilecti, cum æterna immutabilitate.

5. Ultimo potest assertio ratione declarari, quia duobus modis potest lex abrogari, scilicet, vel mere negative, auferendo illam, vel ferendo aliam quæ alteram excludat: neutro

autem modo abroganda est lex nova durante mundo. Non quidem primo modo, quia non potest durare in mundo Ecclesia militans sine ulla lege Dei, esset enim hoc contra divinam providentiam, et contra rationem ipsius Ecclesiæ, quia per fidem constituitur, et non potest esse sine sacramentis per quæ illam fidem profiteatur. Neque etiam posteriori modo; nam vel hæc lex abroganda esset per aliam minus perfectam, et hoc per se est incredibile, et alienum a Christi providentia; vel per aliam perfectiorem, et hoc repugnat perfectioni hujus legis; nam pro capacitate status viæ nulla lex potest perfectius conjungere hominem cum Deo, vel per notitiam fidei, vel per dilectionem gratiæ, et charitatis, vel per religiosum cultum, per sacrificium infinitæ dignitatis, et per sacramenta sanctificationis efficaciam. Item, ex parte Christi, non potest expectari lex a sapientiori vel digniori legislatore lata, neque etiam expectari potest alius mediator inter Deum et hominem præter Christum, nec alia lex potest perfectius conjungere homines ipsi Christo, aut eos copiosius sanctificare per Christum quam hæc lex gratiæ. Nam in hac lege jam ipse Christus præsens adest, et non speratur venturus, sicut in lege veteri; et licet expectemus illum venturum judicem, inde potius concluditur inter hanc legem et Christi judicium non intervenitur aliam legem. Et propterea tempus hujus legis vocatur in Scriptura novissimum, seu ultimum, 1 Joann. 2: *Novissima hora est*, Michææ 4, Actor. 2, quia, scilicet, est tempus ultimæ legis, quæ duratura est donec transeamus ad statum gloriæ. Dicitur etiam hoc tempus plenitudo temporum ad Galat. 4, quia in eo impleta est promissio Messiæ, a quo data est lex cum plenitudine Spiritus sancti ab eodem promissa, et ideo nulla lex superest ab Spiritu sancto expectanda, ut contra aliquos hæreticos explicuit D. Thomas, d. a. 4, ad 2 et 3.

6. *Hinc insertur primo.* — Atque hinc ulterius colligitur secundam mutationem, quæ est per diminutionem, non habere locum in hac lege, quia hæc diminutio esset quædam partialis abrogatio: ergo non habet locum in hac lege, quia quoad hoc eadem est ratio de tota lege et de qualibet parte, ut probant omnia adducta in superiori assertione. Nam perpetuitas simpliciter est promissa, vel prædicta de hac lege; et cum nihil sit exceptum, de omnibus partibus ejus intelligenda est, nec potest fieri exceptio sine magno errore, maxi-

me cum nulla sit major ratio de una parte quam de alia. Ratio vero a priori est, quia Christus, lator hujus legis, summa sapientia prævidit quid esset opportunum hominibus ad salutem, et ad perfectionem ejus consequendam: atque eadem sapientia et ordinatissima providentia ea tantum sua lege præcepit, quæ omni tempore et loco essent suæ Ecclesiæ convenientia, et regulariter observari possent, et ideo omnia sua præcepta tulit, ut æque perpetua et immutabilia, quia nunquam futurum erat conveniens illa minuere, vel mutare. Reliquas autem leges, quas interdum mutare oportet, per se ferre noluit, sed Ecclesiæ suæ commisit.

7. *Infertur secundo.* — Unde obiter colligitur nullam consuetudinem hominum prævalere posse contra hanc legem ad abrogandum aliquod præceptum ejus, tum quia nec tota Ecclesia potest in tali consuetudine conspirare: nam esset valde turpis et aliena ab Ecclesiæ sanctitate; et licet contingeret introduci in Ecclesia particulari, non valeret, juxta cap. ultim. cum aliis de Consuet. Extra, et in 6; tum etiam quia humana consuetudo non excedit vires humanæ voluntatis, seu humanarum voluntatum; non possunt autem omnes voluntates hominum simul sumptæ divinæ voluntati resistere, vel aliquid revocare eorum quæ ipse statuit. Eo vel maxime quod etiam lex humana non abrogatur per contrariam consuetudinem, nisi ex tacito consensu legislatoris: non potest autem præsumi vel fingi Deum, propter consuetudinem hominum, ita connivere ut velit aliquod præceptum suum abrogari. Et ideo merito dixit August., l. 3 Confession., c. 8: *Cum Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, et si nunquam ibi factum est, faciendum est, et si omissum est, instaurandum est, etc.*

8. *Ultimo infertur.* — Ultimo colligitur tertiam etiam mutationem per augmentum alicujus præcepti non habere locum in hac lege divina; ratio est, quia a principio habuit totam suam perfectionem. Probatur, quia auctor ejus non indignit discursu temporum aut experimento ad totam legem suæ Ecclesiæ convenientem præconciendam: ergo ex parte ejus non erat necessaria illa successio in augmento hujus legis. Nec etiam fuit necessaria ex parte hominum quibus lex danda erat, nec etiam ex parte rerum, quia semper futura erat eadem Ecclesia, cum eadem fide, eodem sacrificio, eisdem sacramentis, et eodem re-

gimine, quatenus a jure divino pendet: ergo nulla ratio augmenti in hac lege, ut divina est, cogitari potest. Unde licet in principio institutionis Christus Dominus cum successione quadam illam tulerit, ut sese captui recipientium accommodaret, prius tamen quam in cælum ascenderet illam consummavit, ritus omnes substantiales sacrificii et sacramentorum tradendo, vanumque esset aliud sacrificium vel sacramentum in hac Ecclesia expectare. Et similiter monarchiam in hac Ecclesia constituit, et omnia præcepta sua in Ecclesia perpetuo observanda Apostolis significavit, juxta illud Matth. ult: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

9. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: saltem in præceptis fidei videtur posse esse augmentum, quia discursu temporum crescit Ecclesia in aliquarum fidei veritatum cognitione. Respondetur: veritates fidei necessariæ ad salutem semper fuerunt notæ Ecclesiæ Christi, licet circa illas vel circa alias in eis inclusas, possit esse in Ecclesia magis vel minus distincta cognitio pro temporum varietate. In quo fortasse summum gradum perfectionis habuit in Apostolis, juxta ea quæ traduntur in materia de fide. Tamen licet daremus aliquod augmentum fieri interdum in Ecclesia quoad cognitionem fidei, non propterea auferentur præcepta positiva hujus legis divinæ, quia nunquam crescit obligatio credendi plura vel pauciora explicite, prout est necessarium ad salutem: altera vero obligatio credendi aliquid, quæ interdum nascitur ex sola majori cognitione vel propositione fidei, non positiva sed quasi naturalis est, ut supra declaravi. Atque hoc modo sapientes teneri possunt ad plura credenda explicite quam rudes, cum tamen lex gratiæ eadem sit respectu omnium. Denique posset fieri alia objectio, quia Ecclesia ipsa augetur et minuitur, et varias mutationes recipit pro diversitate temporum vel locorum; cur ergo non idem accidet in lege? Sed hoc difficultatem non habet, quia illa mutatio non pertinet ad ipsam legem, sed ad legis observantiam, quæ pendet ex libera hominum voluntate, quæ facile mutatur, et præsertim pendet ex divina gratia, quam diversis locis aut temporibus Spiritus sanctus dividit prout vult; lex autem pendet ex sola Dei voluntate, quæ eadem semper est in ferendis præceptis hujus legis, et ideo licet mutantur mores hominum, lex non mutatur, ut recte D. Thomas articulo quarto declaravit.

CAPUT VIII.

UTRUM LEX NOVA SIT PERFECTIOR VETERI.

1. *De perfectione legis novæ.* — *Duo supponenda.* — Hanc comparisonem late explicuit D. Thomas 1. 2, tota quæst. 107, ubi moderni scriptores multa etiam de illa tradunt, et plura Soto in 4, dist. 2, quæst. 1, art. 4; et Salmer., tom. 5 in Evangel., tract. 1, et super epist. ad Romanos, c. 3, disp. 20; Bellarmin., libr. 1 de Verbo Dei, c. 18; copiosius Barradas tomo 1, lib. 1, per sexdecim prima capita. Si vero considerentur ea quæ de utraque lege hactenus tractavimus, in eis fere omnia continentur quæ ad præsentem comparisonem pertinent. Et ideo breviter suppono, quod D. Thom. supra tractat, art. 1, has duas leges esse distinctas, quod in lib. 1 a nobis probatum est, et ex dictis in his duobus ultimis est satis declaratum. Deinde suppono legem novam esse perfectiorem veteri, quod est de fide certum: nam id satis aperte docet Paul. ad Hebr. 7, 8 et 9, et satis colligitur ex Jerem. 31. Ut autem declaratur in quo hic excessus consistat, distinguenda sunt in lege gratiæ illa duo quæ D. Thom., q. 106, art. 2, distinguit, scilicet, propria præcepta, seu documenta, et spiritum gratiæ et virtutis ad illa implenda, quæ duo etiam sunt data hominibus tempore legis veteris, et ideo, ut recte fiat comparatio, debent leges illæ, ut præceptivæ, inter se, et gratiæ, item inter se conferri, alioqui non erit formalis et proportionata comparatio. Et ideo censeo non satis explicari hunc excessum, dicendo legem gratiæ esse perfectiorem, quia per antonomasiam significat spiritum gratiæ, qui perfectior est quam lex ut præcipiens: nam hoc modo lex gratiæ etiam est perfectior se ipsa, si sumatur pro spiritu gratiæ quem confert, et ad sua præcepta vel documenta comparetur: oportet ergo, ut dixi, duas illas partes cum proportionem comparare.

2. *Prima conclusio.* — Dico ergo primo: lex gratiæ quoad spiritum gratiæ longe excellentiorem statum legis veteris, etiam quantum ad gratiam, quæ ad illam implendam in illo conferebatur. Probatur: nam in tribus præcipue vel quatuor excedit quoad hanc partem lex nova. Primo, quia ex vi sui status et sui proximi legislatoris habet hunc gratiæ spiritum, quia data est per Christum, qui simul fuit redemptor et legislator, quam prærogativam non habuit lex data per Moysem. Dices Moy-

sem non fuisse auctorem illius legis, sed Deum, qui est principalis auctor gratiæ; ergo etiam illa lex dici potest habuisse gratiam ex vi sui auctoris, et ratione talis status. Respondetur negando consequentiam, quia humana natura per originale peccatum facta est indigna omni gratia, et ideo quamdiu redemptorem præsentem non habuit, non habebat, secundum illum statum, unde gratiam obtineret ad quamcumque legem implendam. Quia juste Deus decreverat nullam gratiam hominibus lapsis dare, nisi propter meritum ejus, qui totam naturam redimeret, et ideo omnis gratia quæ data est ante adventum Redemptoris non erat ex vi illius status, sed ex benigna providentia Dei, per anticipatam solutionem meriti Christi prævisi. Et ob hanc causam, non satis est quod Deus esset auctor legis et gratiæ, quia ad legem dandam non erat necessarium meritum Redemptoris, sicut semper fuit ad collationem gratiæ. Lex autem gratiæ lata est ab ipsomet Redemptore, qui jam pretium omnis gratiæ persolvit, et ideo lex speciali modo habet sibi conjunctum spiritum gratiæ, quo cultores ejus justificantur et vires accipiunt ad ipsam implendam. Et hanc differentiam maxime intendit Paulus in suis Epistolis ad Romanos, ad Galatas et ad Hebræos.

3. *Secunda excellentia legis novæ.* — Et hinc sequitur secunda excellentia hujus legis, quia spiritus gratiæ abundantius et copiosius in illa confertur, quam daretur ante Christi adventum, ut supra probatum et declaratum est; intelligendum est enim ex vi status et quasi ordinariæ legis, et sic est differentia clara in Scripturis, ut ex consequentibus constabit. Hoc vero non impedit quominus aliquibus hominibus singulariter electis Deus tunc contulerit abundantiam spiritus, ut per se constat. Tertia excellentia est, quia in hoc statu confertur gratia non tantum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, idque non uno tantum modo, sed septem, per septem sacramenta, quæ sunt veluti septem perennes fontes gratiæ Christi, de quibus Isaias, capite duodecimo prædixit: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*; ubi notat Hieronymus positum esse nomen JESU, ne putaretur aliud esse præter eum quem Gabriel Virgini prænuntiavit; ipse autem per fontes Salvatoris doctrinam evangelicam intelligit, in qua lex gratiæ continetur, et ita in idem recidit, quia magna pars legis evangelicæ est de Sacramentis. Et quidem illa satis commode dicuntur fontes gratiæ et Salvatoris, quamvis tota etiam lex